αἰδὼς ἥτ' ἄνδρας μέγα σίνεται ἠδ' ὀνίνησι,

collata meliùs pronunciari queant, longum erit recenſere.

(23)lib.IX. c. VI. Pari ratione ſi legam apud *Curtium* (23) fiduciam amicorum in Alexandrum fuiſſe tantam, ut interprete Cratero ita explicarent, *Quantalibet vis omniũ gentiũ cõſpiret in nos, impleat armis viriſq; totũ orbẽ, claſſibus maria cõſternat, inuſitatas belluas inducat, tu nos præſtabis invictos*, continuò mecum cogitabo longè rectiùs hæc Deo accommodari in Pſalmo XLVI, ex quo B. Lutherus, Und wenn die Welt voll Teuffel wer. Occurrent mihi (24) Lampridii verba de Alexandro Severo, *Leonum vectigal & meretricum & exoletorum in ſacrum ærarium inferri vetuit, ſed ſumtibus publicis ad inſtaurationem theatri, circi, amphitheatri & ſtadii deputavit:* ſuccurret quoq; lex Domini in *Deuteronomio*, Du ſollſt kein Hurenlohn noch Hundegeld in das Haus Gottes deines Herren bringen. Et præivit doctiſſimus *Caſaubonus*, qui, cùm & in Ælio Spartiano & Aurelio Victore apophthegma illud Septimii Severi, *Cuncta fui, conducit nihil*, legiſſet, ſubjunxit, *Quatuor verbis complexus eſt Severus integri libelli eius (finem ſolùm excipimus) ſummam, qui à ſapientiſſimo regum Salomone ſuper humanarum rerum vanitate divinitùs planè & θεοπνεύστως eſt compoſitus.*

(25) Atq; ſic etiam acutis illis (25) Claudiani in Rufinum verſibus,

Sæpe mihi dubiam traxit ſententia mentem &c.

eloqui optimè poterimus ſententiam citati libelli, Weil nicht bald geſchicht ein Urtheil über die böſen Werck / dadurch wird das Hertz

(26) der Menſchen voll Böſes zu thuen. Legero (26) Ovidiana illa in lib. I. *de Ponto*,

Talia cœleſtes fieri præconia gaudent,
ut, ſua quid valeant numina, teſte probent,
ſæpe levant pœnas, ————————

mutabo, & præconio JEHOVÆ accommodabo, qui planè miſericors Pater, ut pro peccato magno paullulum ei ſupplicii ſatis ſit, cujus *adfectûs* erga nos etiam *adfectûs patrios, qui tamen potentiſſimi habentur, longè ſuperat*, ut ita verſum XXXIIX Pſalmi LXXIIX adumbrem.

(27) In principio librorum *Triſtium* idem *Ovidius* (27) deſcribit navigationem periculoſiſſimam,

Me